



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Mechtildis V. 29. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

videre, tum filiam etiam diem fecit. jam inter eos, qui principes facem Christianæ legis in Boicam intulerunt, numeres EYSTASIVM licet. Et tulit ille operæ pretium suæ, non item Agrestinus, homo temerarius ac vaser, nihilque monachi præter nomen vestemque præ se ferens. Hic malus in eum diem discipulus, religionis tamen magisterium affectavit, & cum minus ex sententiâ cederet, institit magistrum EYSTASIVM totumque Columbanæ gregem calumniis petere, eamque in rem socios cogere. Sed ex his aliis lupus, aliis fulmen, morbus aliis, ipsi Agrestino silentium securis imposuit à servulo impacta; cum eum non multò antè accusatorem expertus EYSTASIVS, ad divinum tribunal vocasset. Securus hic paulò post, prævisâ (quò minus timeret) morte, rectius accusaturus Magister discipulum ingratum. *Ex Surio.*

*O si velimus omnem mentis nostræ paralyfin pervidere, animam nostram virtutibus destitutam jacere in vitiorum stratis videremus: luceret nobis quemadmodum Christus & nostras quotidie maxime respicit voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit & perurget invitos. S. Pet. Chryl. serm. 50.*

## S. MECHTILDIS V. 29. Martij.

**C**eras alii avitas in MECHTILDE easque Principum & Imperatorum numerant; at nos virtutes, quas si non omnes enumerare poterimus, aliquas certè advocabimus. Et primò quidè, quod ferè amat in illustribus puellis fieri, in cunis desponsa videtur, sed nimirum Christo. Certè quinto ætatis anno è parentis in DEI abiit Parthenonem, qui Dieflæ tunc fuit. Ab hominis thalamo quàm abhorrucrit, inde æstimes, quòd omni lecto abstinuerit,

nuerit, carnem quam oderit carnisque illecebras, inde, quod ab hac semper, dum vixit, abstinuerit; sed nec vinum admisit unquam, nisi Ratisponæ ex aquâ factum; si tamen id vinum fuit & non nectar potius, quod cælum inuita tertio tunc miscuit. Iam virginē adultam illam, sed elinguem, & ab orco obsessam unâ operâ & linguæ vinculis & obsidione tam gravi liberavit. Plura alia miraque vel cum Antistita esset Edelstetta in Sueviâ, vel Diessa (nam huc sub vitæ finem rediit) à morte ipsius sunt prodita, quod morbos reduces non silentibus minaretur. Crilli demortuæ fulmina exarmarunt. Pagum Diengensem cum dotem monasterio impetrasset, partem reddituum devovit sanctioribus panibus pascendis, qui sacrificantium usui cederent. Atque hoc est credo, cur ultimam ægrotanti solatia è cælo tulit VYRGO MAGNA, & cibum divinum Angeli ministrarunt, quando nec epulum, nec epuli spectacula, nec structores, nec convivæ nobiliores potuerunt esse.

*Ex tom. 4. ant. lect. Canisii.*

*Confitere peccatum, ut Christi possis venire ad mensam, ut sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum: ut fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem funditur. Agnosce te peccatorem, ut tecum prandeat Christus. S. Pet. Chryf. ferm. 30.*

S. REGVLVS EPISC. 30. Martij.

**I**Ter in Gallias D. Dionysio cum gemino comite instituenti tertius comes REGVLVS accessit, non infelicibus auspiciis. Etenim cum illi sanguine suo sterile etiamnum solum rigassent, inter divina REGVLVS ejus rei nuntias ternas columbas habuit,